

170

liores, quod lupanaria in civitatibus suis de suis filiabus non sustinent, sed in illo sunt multo peiores, quod nefandissima loca epheborum intolerabilis immunditiae habent, et stabula pecorum passim ingrediuntur de permissione Machometi. Redeundo ergo ad propositum, ad domum praedictam non venimus ex industria, se duce via et vidimus, quod in adspectu nostro aliquae erubescabant, aliquae flebant, aliquae eripi rogabant et suam miseriam explicabant, aliquae gaudebant dicentes, se nobiscum reversuras, aliquae supplicabant, ut Deum pro eis rogaremus. Habito ergo brevi colloquio in vico cum eis ad alia processimus.

Visis locis et fonticis intra urbem processimus extra et in littore maris negotiationes vidimus circa naves. Cum ergo per portam exiremus, iterum visitabant nos custodes, sicut prius saepe fecerant, et dimittentes venimus ad mare, et magnum tumultum hominum ibi reperimus, de novo enim naves advenerant, et aliae naves onerabantur saccis specierum, et littus plenum saccis jacebat, et licet omnes sacci prius in fontico fuerint praesentibus officialibus Sarracenis impleti et librati cum speciebus et sub porta visitati, tamen ultimo, quando jam in naves sunt ducendi, effunduntur omnia de saccis in terram, ut videant quid adductum sit. Et circa hoc est magnus labor et multi accurrunt, fuit enim sacci grandes, quinque pedum latitudinis et quindecim vel amplius longitudinis, et dum evacuantur, accurrunt multi pauperes, foeminae et pueri, Arabes et Afri, et quidquid subripere possunt accipiunt, et in sabulo cinciber, cariophilas, cinammomum, muscatos quaerunt, et inventa sub porta vendunt levi pretio, unde aliqui mercatores eos sequuntur, et raptis vel inventa ab eis emunt. Vidi aliquando de illis mendicis raptoribus ultra quingintos ibi currere ad quaerendum et rapiendum species, unde quando importune se ingerunt, disponunt mercatores aliqui Mammaluccum, qui cum baculo et clamore incipit caedere pauperes et durissimis percussionibus repellere a cumulis specierum longius post eos currens et sine misericordia caedens sine differentia, senes, mulieres impraegnatas et pueros percutiens in eos sicut in bestias, non attendens clamores, lamenta et ejulatus, quibus coelum repletur. Hanc crudelitatem saepe vidi. Assistunt istis cumulis praeter laboratores multi custodes omnium circumstantium manus respicientes. Perscrutatis autem speciebus repo-

